

Graziano

<https://geschichte.digitale-sammlungen.de/decretum-gratiani/online/angebot>

De consecratione, distinzione III

C. I. Tempora feriandi in missa sunt laicis annuncianda.

Item ex Concilio Lugdunensi.

I. Pars. Pronunciandum est, ut sciant tempora feriandi per annum, id est: **omnem dominicam** a uespera usque ad uesperam, **ne a iudaismo capiantur**. **Feriandi uero per annum isti sunt dies**: Natalis Domini, S. Stephani, S. Iohannis Euangelistae, Innocentium, S. Siluestri, Octauae Domini Theophaniae, Purificatio S. Mariae, sanctum Pasca cum tota hebdomada, Rogationes tribus diebus, Ascensio Domini, sancti dies Pentecostes, S. Iohannis Baptistae, duodecim Apostolorum, et maxime sanctorum Petri et Pauli, qui mundum sua predicatione illuminauerunt, S. Laurentii, Assumptio S. Mariae, Natiuitas S. Mariae, Dedicatio, S. Michaelis Archangeli, Dedicatio cuiuscumque oratorii, et omnium sanctorum, et S. Martini, **et illae festiuitates, quas singuli episcopi in suis episcopiis cum populo collaudauerint**, quae uicinis tantum circummorantibus indicendae sunt, non generaliter omnibus. Reliquae uero festiuitates per annum non sunt cogendae ad feriandum, nec prohibendae. Indictum uero ieiunium quando fuerit denunciatum, ab omnibus obseruetur.

C. II. In sanctorum solemnitatibus diuinis offitiis, non saltationibus uel cantilenis, populi debent uacare.

Item ex Concilio Tolletano IV. [c. 23.]

Irreligiosa consuetudo est, quam uulgus per sanctorum solemnitates agere consuevit. Populi, qui debent diuina offitia attendere, **saltationibus turpibus inuigilant cantica**, non solum **mala canentes**, **sed et religiosorum offitiis perstrepunt**. Hoc etenim, ut ab omnibus prouinciis depellatur, sacerdotum et iudicum a concilio sancto curae committitur

[...]

C. XII. Nec die sabbati feriandum, nec die dominico lauacrum est prohibendum.

Item Gregorius dilectissimis ciuibus Romae.

[lib. XI. epist. 3.]

III. Pars. Peruenit ad me, quosdam peruersi spiritus

homines praua inter uos aliqua et sanctae fidei aduersa seminasse, ita ut in die sabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud nisi antichristi predicatorum dixerimus? qui ueniens diem sabbatum atque dominicum ab omni faciet opere custodiri. Quia enim mori se et resurgere simulat, haberi uult in ueneratione dominicum diem; et quia populum iudaizare conpellit, ut exteriorem ritum legis reuocet, et sibi Iudeorum perfidiam subdat, coli uult sabbatum. §. 1. Aliud quoque ad me perlatum est, uobis a peruersis hominibus esse predicatum, ut dominico die nullus debeat lauari. Et quidem si pro luxuria et pro uoluptate lauari quis appetit, hoc fieri nec reliquo die quolibet concedimus. Si autem pro necessitate corporis hoc nec die dominico prohibemus.

Gregorio IX, decretali. Libro II, titolo 9 De feriis

<https://www.hs-augsburg.de/~harsch/augustana.html>

... ma anche, per l'insieme del Corpus di diritto canonico:

http://www.columbia.edu/cu/lweb/digital/collections/cul/texts/ldpd_6029936_001/index.html

http://www.columbia.edu/cu/lweb/digital/collections/cul/texts/ldpd_6029936_002/index.html

Capitulum I.

Diebus dominicis **mercari, litigari, iudicari, vel iurari** non debet, sed de uespera in uesperam debent celebrari.

Ex concilio apud Compendium.

Omnes dies dominicos a uespera in uesperam cum omni ueneratione decernimus observari, et ab omni illicito opere abstinere, ut in eis **mercatum** minime fiat, neque **placitum**, neque aliquis ad mortem uel ad poenam iudicetur, nec sacramenta nisi pro pace uel alia necessitate, praestentur.

[...]

Capitulum III.

Propter necessitatem alimentorum licet diebus feriatis in honorem Dei operi seruili intendere, **maxime circa rem tempore perituram**. H. d. Idem Triburiensi Archiepiscopo.

Licet tam ueteris quam noui testamenti pagina septimum diem ad humanam quietem specialiter deputauerit, et tam eum quam alios dies maiestati altissimae deputatos, nec non natalitia sanctorum martyrum ecclesia decreuerit observanda, et in his ab omni opere seruili cessandum, + **nos tamen, quibus ab omnium uisore ecclesiae regimen est commissum, super his, quae necessitas exigit, Christi fidelibus tenemur commode providere, ut, si quando eos non seruili operi id est actioni peccati, sed necessaria uictui et uestitui quaerendo forte intendere contigerit, volumus, ut eis apostolicae sedis uisericordia consueta subueniat. Inde siquidem eo est quod regionem uestram, quae non multis frugibus abundet, et mare, in quo populus maiorem consueuit habere sustentationem, sterilius solito effectum fuisse multorum relationibus cognoscentes, auctoritate B. Petri et nostra Indulgemus, ut liceat parochianis uestris diebus dominicis et aliis festis, praeterquam in maioribus anni solennitatibus, si alicia terrae se inclinauerint, eorum captiui ingruente necessitate intendere, ita tamen, quod post factam capturam ecclesiis circumpositis et Christi pauperibus congruam faciant portionem. Si autem illi, qui aliquos dies in pane et aqua ex iniuncta sibi poenitentia tenentur peragere, panem quo uescantur, non habent aut piscibus uel aliis cibariis si necessitas exegerit reficiantur,**

moderata tamen discretione habita, quod his non ad delicias, sed ad necessariam solummodo sustentationem utantur.

[...]

Capitulum V.

In feriis introductis in honorem Dei et sanctorum, nisi ob necessitatem vel pietatem, iudicium exerceri non potest, etiam de consensu partium; **feriis tamen introductis favore hominum partes renunciare possunt.**

Gregorius IX.

Conquestus est nobis (*Et infra:*) Quamvis non prorogari, sed expediri deceat quaestiones, debet tamen iudicialis strepitus diebus conquiescere feriatis, qui ob reverentiam Dei noscuntur esse statuti, scilicet **Natalis Domini, sancti Stephani, Ioannis Evangelistae, Innocentium, sancti Silvestri, Circumcisionis, Epiphaniae, VII. diebus dominicae Passionis, Resurrectionis cum VII. sequentibus, Ascensionis, Pentecostes cum duobus, qui sequuntur, Nativitatis Ioannis Baptistae, festivitatum omnium Virginis gloriosae, XII. Apostolorum, et praecipue Petri et Pauli, beati Laurentii, dedicationis beati Michaelis, solennitatis omnium sanctorum, ac diebus dominicis, ceterisque solennitatibus, quas singuli episcopi in suis dioecesibus cum clero et populo duxerint solenniter venerandas, quibus utique solennibus feriis, nisi necessitas urgeat vel pietas suadeat, usque adeo convenit ab huiusmodi abstinere, ut, consentientibus etiam partibus, nec processus habitus teneat, nec sententia, quam contingit diebus huiusmodi promulgari, licet diebus feriatis, qui gratia vindemiarum vel messium ob necessitates hominum indulgentur, procedi valeat, si de partium processerit voluntate.**